SUPREMI NUMINIS AUSPICIO!
INAUGURALEM
DISPUTATIONEM MEDICAM
DE

ICTERO

IN
CELEBERRIMA NORICORUM UNIVERSITATE
EX
DECRETO ET AUTORITATE
GRATIOSISSIMI
MEDICORUM ORDINIS
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQVENDI
SOLENNI PLACIDÆQVE ERUDITORUM
VENTILATIONI SUB-
MITTIT

PANCRATIUS Wolff/
Naumburg. Misn.

AD D. XVII. AUGUSTI, A. M DC LXXIV.



ALTDORFFI
Typis HENRICI MEYERI, Univ. Typogr.

REVERENDISSIMI ATQVE SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI MAURITII,
Postulati Administratoris Episcopatus Naumburgensis
Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium, &c.
Principis ac Domini mei Clementissimi,
Archiatris longè Splendidissimis,
VIRIS
Nobilissimis, Amplissimis & Excellentissimis
DN. ADAMO HABERKORNIO,
Nec non
DN. WILHELMO ZAPFIO,
Doctoribus Naturæ ac Medicinæ, tam Hippocraticæ,
quam Hermeticæ Consultissimis,
Practicis per multijugam felicem Experientiam undiquaque Celeberrimis,
Patronis atq; Promotoribus Optumis, Maxumis,
ut &
VIRO
Prudentia, Experientia & Integritate maximè
Conspicuo
DN. CHRISTOPHORO Wolffen/
Inclytæ Reipublicæ Naumburgensis Senatori, Ejusdemq; Amplissimi
Ordinis Camerario, & Pharmacopœo,
Parenti, omni filiali Honore æviternùm proseqvendo,
Hanc suam inauguralem
In
uberiorem sui suorumq; studiorum commendationem
D. D. D.
Cultor observantissimus
PANCRATIUS Wolff.

S. L. B.

ICterum quòd affectum vulgaris notitiæ, ſed non vulgaris difficultatis, ſuſceperim, non contradicendi ſtudium, ſed ſciendi deſiderium fecit, quod eò me adegit, ut, multorum Clarisſimorum Autorum opinionibus evolutis, rationibus trutinatis, obſervationibus inter ſe collatis, meas, circa eundem formatas theſes, loco diſputationis, luci commiſerim, &, ſicut ille pictor ſuam tabulam, cenſuræ publicæ expoſuerim, ut vel hac ratione, veritatis manifeſtandæ gratia, quod unicè in votis habeo, defectus illarum ſuppleri, dubia extricari & errores emendari valeant. Itaque ſi vides, me Magnorum Autorum hypotheſes examinaſſe, illasq; aliquando correxiſſe, ne quæſo ſiniſtrè & pro audacia interpretare; ſecus enim, ſingulis hypotheſibus independente à cęteris ſpecie concilianda, laborantis circuli philoſophici vitium, maximè, incomparabili Phyſico, Boyleo, monente, vitandum incurriſſem: Haud equidem, quaſi magis ſapere mihi viſus, errores illis imputare coner, ſed potiùs, quòd ipſorum veſtigia

 

terens, malim rationibus, quam Autoritatibus, quæ ſelectu forent admodum dubiæ, ſuperſtruere, præcipuè, cum mihi canon ille ſeu primum principium Carteſii: *De omnibus eſſe dubitandum, aut,* ſi mavis, *nihil eſſe præſupponendum*, tanquam in philoſophando utilisſimum, tantopere placeat, ut adeò *nullam omninò propoſitionem, quæ non prius in ſenſu fuerit, ſi non immediatè, modò mediatè, facilè admittam.* Quamobrem quoque multas Celeberrimorum Practicorum obſervationes, ex quibus demum, quantum licuit, theoremata mea collegerim, conquirere, duxi optimum, ne, umbratili ſaltem ad pulpitum ſpeculationi indulſiſſe me, nec, quid faciat, aut ferat, ut cum Baconio loquar, natura, tàm inveniſſe, quàm excogitasſe & præſcripſiſſe quis arbitretur. Quodſi argumentum hoc minùs dignè, quàm pro Tua exſpectatione debuiſſem, tractavero, ita ut rationes vix omnes ſufficientes agnoſcas, illud, pro Tua Humanitate, ſpero, vitio non vertes meæ tenuitati, maximè exoptanti, ut melioribus, quas apprehendat, communicatis, illa, ceu devinctisſima Tibi obſtringatur.

§. I.

§. I.

ICterus, alio nomine morbus regius veniens, illa cutis à bile suffusa defœdatio dicitur, quæ colore magis flavo, flavum; ad obscuram viriditatem vergente, nigrum producit. Hunc pariter ac illum, ab eadem bile, in ejus organis epaticis scilicet elaborata, proficisci, evincit, quòd, uti inter alios *Platerus in observ. p. 574.* observavit, in utroq; fæces alvi sine omni tinctura, non, nisi ab illa deducenda, aliquando conspiciantur, nec non, sicut *Thonerus in observ. p. 154.* per vomitum simul biliosa flava quandoque rejiciantur; & flavus diuturnior in viridem tandem nigricantemq; degenerare soleat. Obscurus hic viror bili, secundum naturam flavæ, ab acido conciliatur; ea quippe talis, juxta *Mœbium in Instit. p. 334.* fit sæpenumero, cum tartaro digesta; sic *Graaf de succo pancreat. p. 133.* refert, se aliquando humore atro, seu ex atro virescente, in duodeno reperto, in vesicula fellis ex viridi flavescentem deprehendisse, qui, Spiritu vitrioli affuso, colorem illius assumpserit; Pari ratione in ipso corpore nostro colorem hoc modo ab acido mutari posse probabile est; Illud enim, uti *Graaf de succ. pancr. p. 133. & 149.* scribit, nonnunquam bilis atra spirat, æneasq; pelves ac stanneas matulas, ex acidorum liquorum proprietate, corrodit, nec non acutissimi aceti qualitatem præfert, qualem in febre maligna *Thoner. obs. 1. p. 12.* per vomitum, post materiam croceam rejectam fuisse, asseverat. Cum autem in specie succum pancreaticum huic phænomeno idoneum esse, citata *Graaf.* probet observatio, ille ad vesiculam felleam penetrando, in hac pariter bilem adulterabit. Eapropter in nostro quoque affectu nigredinem ab acido deducendam esse, non

Hippocr. ſolùm *epidem. l. 2. ſ. 1. 75.* innuit, morbi, inquiens, regii à ſplene (*Ipſi* humoris melancholici, ſeu acidi primo fonte) nigriores ſunt, verùm etiam perſuadet, quòd quartanariis, ſcorbuticis, (acidi fœtibus) item poſt errorem, in aceti ſiniſtro uſu commiſſum, ex *Foreſt. l. 19. obſ. 23.* superveniat.

II.

Cauſam igitur proximam bilis agit, quæ non ſolùm ad maſſam ſanguineam delata, ſed etiam hinc ſimul glandulis miliaribus, ex conglomeratarum genere, *à Barthol. in act. med. p. 190.* & *Stenon. de gland. p. 42.* deſcriptis, communicata, cutem atque cuticulam, non ſecus ac omnes partes interiores, facillimè inquinat. Nam, cùm *Kerkring. Spicil. anat. obſ. 17.* (cui fortaſſe ſimilis eſt illa *Panarol. pentec. 4. obſ. 44.*) teſtetur, matrem Ictericam ſimilem quoque fœtum edidiſſe, cujus non ſanguis tantùm planè fuerit felleus, ſed ipſa quoque oſſa talia; inter Autores verò conſtet, fœtum ſanguine materno minimè ali, ſed colliquamento potiùs cryſtallino, uti *Harvæus* loqui amat, patet, ſpurcitiem illam eò poſſe pertingere, quò ſanguini minimè liceat; unde abſurdum minimè videtur, bilem aliquando cruori vitali confuſam, ſui notam in partibus exterioribus minimè præbere. Sic in *Schenck. obſerv. p. 402.* narratur, maſſam arterioſam & venoſam, in morbo regio immuni, bile manus tinxiſſe; ipſemet puellam novi, quæ poſt urinam, jamdiu croceam redditam, fæcibus interim omni colore ſuo deſtitutis, per alvum atque urinam flavos lapillos, ſine omni tamen flavedine, vel in albo oculi, vel ipſa cute conſpicienda, dejiciebat. Hinc *Hildan. cent. 6. obſ. 77.* in quadragenario, febre biliosa laborante, absque Ictero juncto, die ſeptimo ſudorem croceum & *Barthol. cent. 5. hiſt. 62.* ex colica eundem poſt ſudoriferum ſuccesſiſſe, obſervavit, bile ſcilicet, ope ſudoris

doris per glandularum miliarium ductus atque poros, magis apertos, penetrante. Dictus autem humor ſangui-ni commiſcetur, quando in vaſis ſuis choledochis contentus per porum epaticum regurgitat ad venoſum parenchymatis ſanguinem: motum quidem hunc deſtruere videtur experimentum *Malpighii de ep. c. 7.* (quod *Pechlin. de purg. cap. 36. p. 502.* ſua quoque confirmat experientia) ſatis magnam bilis copiam, etiam ligato ductu cyſtico, in duodeno colligi, docentis, ideòque ejus per porum epaticum multo magis deſcenſum, quàm asſcenſum evincentis: Verumenimverò illam præter naturam ſurſum tendendi viam, etiamſi naturalis hic deſcenſus ponatur, à valvulis, quas fictitias eſſe *Gliſſon. in anat. ep. cap. 15. p. 133.* & *cap. 16. p. 134.* oſtendit, minimè intercludi, probat, quòd ex obſervatione *Sylvii Prax. cap. 44. §. 17.* & *Diſput. med. 6. §. 51. p. 100.* flatus atque liquores, poro immisſi, per ejus radices (ſub capſula communi cum venæ portæ ramis diſtributas) tandem ad pulmones usque penetrent. In ipſum equidem fellis folliculum alias vaſorum biliariorum radices, ex epate productas, ac præcipue truncum quendam, ex duobus ramis inſignioribus collectum, implantari *Gliſſon. anat. ep. cap. 13. p. 126.* notat: per vaſa tamen hæc fel ad epar masſamq; ſanguineam retrolabi eſt imposſibile, cùm ſecundum iſtum *Autorem* per tunicarum duplicaturam, ureterum ad inſtar, cum quadam protuberantia ſpongioſa in fellis folliculum inſerantur; Hunc nuper, cum epate ex bove reſciſſum, & aqua, per ſyringem immiſſa, repletum, ligato ductu cyſtico, ejus nihil à compresſione emiſiſſe deprehendi. Iccircò, propter memoratum ductum occluſum, folliculum, ſine icteri nota, diſtentum adeò, ut vel ſesquipintam liquoris contineat, obſervari, exemplis confirmant *Job van Meekren obſ. chir. cap. 43.* & *Ruyſch. obſ. anat. 17. & 18.*

III. Quem-

III.

Quemadmodum autem fluminis gurges, ab objecto obice repercussus, versus fontem suum regreditur: Ita bilis ad massam sanguineam regurgitat, quotiescunque locus & exitus eidem, aut nullus, aut insufficiens, per ductum intestinalem conceditur, sive ob eundem occlusum, sive ob humorem, exitum impetu majore, quam quo universus per illum possit egredi, postulantem fiat. Non etenim culpa semper rejicienda est in obstructiones, quas in Ictero defunctis multis frustra *Sylvius Prax. cap. 46. §. 7.* quæsivit, earumq; absentiam multæ historiæ (quales sunt *River. cent. 2. obs. 9. it. cent. 3. obs. 73. Hæchstett. dec. 8. cas. 8. Plater. in observ. p. 329.*) illo laborantium, bile nihilominus tincta per alvum, quandoque etiam vomitum exonerantium, denotant, quale quid in infantibus quoque, primas cuticulæ exuvias cum Ictero deponentibus, subinde animadvertitur. Felleum vero humorem, è vesicula coarctata erumpentem, impetu majore, quam quo ductus communis, aut ejus ostium illi integrè se exoneranti par sit, sursum adigi sæpius à me aliisq; visum *Dn. D. Bohnii, Anatomici longè Exercitatissimi, Præceptoris quàm Meritissimi experimentum, exercitationi Physiologicæ nonæ corollarii loco adjectum*, confirmat; quando scilicet, folliculo, e. g. digito, compresso, pars quidem bilis per ductum communem ad intestinum descendit, pars verò ejusdem eodem momento per porum ascendit epaticum; non secus, ac vesica aliqua compressa, humor, in ea contentus, amat per omnia effluere foramina. Maximè autem hoc eveniet, si vesicula fellis sit plenior, si ductus communis, ejusvé ad duodenum ostium aliquantò sit angustius, si non ita per acutum angulum porus epaticus cum cystico coëat; ut igitur mirum

non

non sit, quasdam causas in hoc subjecto, licet graviores, affectum nostrum minimè producere, quem tamen eædem in altero, secus conformato, licet leviores, facillimè soleant.

IV.

Ductum memoratum occludit materia tartarea & calculus, quem velut in quibusvis corporis humani partibus (ne quidem cerebro excluso, in cujus dextro ventriculo, stulti semper somnolenti, inter alia præternaturalia, grana xiij pendentem *Kerckring. Spicil. anat. obs. 35.* reperit) Anatomicorum industria observavit: ita frequentem vasa biliaria obsidere Autores plurimi, propria experientia instructi, testantur. vid. *Schenck. observ. p. 402. Barthol. cent. 1. ep. 62. &c.* Hujusmodi avellanæ magnitudinis lapillos tres, quos, ex aliquot laminis quasi striatis concretos, è vesica fellea mulieris, assumpto arsenico, defunctæ, in hujus Universitatis theatro Anatomico Anno 1662. extraxit, ostentat *Excellentissimus Dn. Doct. Mauritius Hoffmannus, p. t. Spectatissimus Dn. Decanus.* Esse illum nihil aliud, quàm fel coagulatum, amaritie, colore atque tinctura sua subinde, uti habent observationes *Schenck. p. 405. & 404.* prodit, cujus corpuscula, antea saltem contigua, ceu in fluidis requiritur, ut continua, tanquam in solidis, fiant, concrescere eum in modum, quo *Helmontius in Paradoxico suo de lithiasi tractatu* calculum generari contendit, scilicet, quemadmodum cum Spiritu urinæ vini Spiritus mistus coagulatur, hujus abusus, morbum regium sæpissimè prægressus, speciem offerre videtur. Verùm scrupulus, an talis explicatio locum hic habeat, *Illustri Boyleo, tàm in tentaminibus, quàm in hist. fluid. & firmit.* experimentum hoc, non nisi quàm maximè rectificato utroque Spiritu, succedere, monente, vix eximendus remanet. Bilem etenim, licet alcalina natura minùs ipsi deneganda sit, tantopere urinosam vix esse credo, qui vidi, ejus destillatione in arena facta, phle-

gma ſine omni notabili ſapore & odore, aquei planè coloris alembicum aſſcendiſſe; Vini etiam Spiritus, ab ejus potatoribus aſſumi conſuetus, tantam rectificationem nondum ſuſtinuit, inprimis cum fermento ventriculi, utpote acido, à quo tamen (unde ejus alcoholiſationem addita lixivioſa, non ſecus ac deſtillationem Spiritus Salis armeniaci & ſalis volatilis tartari, tantùm juvant) liberari debet, denuò figente. Ad hæc neque omnem urinæ Spiritum, ſed ſaltem putrefactione, non ſine ea, additis alcalinis, paratum, huic phœnomeno idoneum, ſeſe exhibere; prætereaque coagulum hoc limpidi liquoris formam (quam tamen calculi, per ſatis longum tempus repoſiti, renuunt) reasſumere, *laudatus Phyſicus* animadvertit. Probabilius itaque coagulatio hæc acido, cujus præſentiam non juvantia ſolùm, ſed etiam ſymptomata cum cauſis prægresſis evincunt, imputabitur, qvantumvis minùs eò inclinemus, omnem coagulationem per acidum fieri, cujus aſſertionem concretio glaciei, gemmarumque deſtruit; nec credamus, omne acidum omne liquidum coagulare, cum Sacchari coagulatio ab acidis potiùs impediatur; Acida tamen idoneæ texturæ, qua multa gaudent corpora, ſubjecta promptè coagulant. Sic *Boyl. in hiſt. firm. p. 117.* oleum olivarum in album conſiſtens, atque interdum friabile, ſuperinfuſa aqua forti concreſcere refert; Spiritum ſalis albumen ovi coagulare notum eſt; calculus humanus, ſecundum *Tachen. Hippocr. Chym. cap. 14. p. 93.* eſt, uti tartarus, ſal volatile, materiæ terreſtri junctum, ab acido induratum; & Sulphur commune crama, in penetralibus terræ ex unctuoſa, combuſtibiliq; ſubſtantia, & liquoribus vitriolatis conflatum; Spiritum quippe acidum, vulgò olei nomine venientem, per campanam vitream ex eo accipiendum, cum ad unciam unam ex integra

Sul-

Sulphuris libra vix colligatur, nec non testante *Boyl. de col. p. 3. exp. 23.* rosarum rubedinem, quam in albedinem fumus ejus convertit, magis intendat, pro ejus integrali constitutione minimè sufficere videmus, præsertim, cùm *Idem* oleum vitrioli & oleum terebinthinæ juncta partem Sulphuris, colore, odore & inflammabilitate commune æquantis exhibuisse sibi, *in Chymista Scept. p. 197. & 173.* enarret. Bilis vero, etsi non quælibet (hoc enim posito omnibus fere hominibus, nihilominus in statu naturali, ob ductus Pancreatici & Biliarii frequentissimum concursum, fierent calculi) superveniente coagulo acido, ad calculi naturam induendam apta fit, si ratione visciditatis albumen, ratione terrestreitatis cum sale volatili tartarum & calculum, ratione nimiæ oleositatis oleum olivarum & sulphur commune referat.

V.

Ductus porrò communis occluditur à callo, insertionem biliarii ductus in duodenum obsidente, quale exemplum *Bartholin. in dubiis anatom. de lact. thorac. c. 2.* habet; à vermibus, quos *Ruysch. obs. anat. 17.* in biliario poro deprehendit; & in scirrhosi epatis ovini ductibus, cucurbitæ semen æmulantes vidit *Excellentissimus Dn. D. Hoffmannus, Botanices, Anatomiæ & Chirurgiæ Professor hujus Academiæ Publicus, ac Sereniss. Elector. & Marchion. Brandenburg. Reiquepubl. Norimb. Archiater undiquaq; Celeberrimus, Præceptor ætatem omni honoris cultu venerandus;* aut parte aliqua ductus communis, velut intestini in iliaca passione, partem alteram excipiente, quale quid in aperto pueri, immensis circa umbilicum torminibus infestati, cadavere, in ductu cystico supra pori epatici insertionem observatum à se, *Job van Meekren observ. chir. cap. 43.* apposito schemate, describit. Quod si etiam ductus communis, hactenus sæpius memorati, (utpote, referente *Glissonio anat. ep.*

cap. 13. p. 135. inter duodeni tunicam exteriorem atque interiorem ſemiunciali ferè longitudine prorepentis, tandemq; hiatu rotundo in ejus cavitatem ſe aperientis,) inſertio, bilis, vi digitorum etiam propulſæ, ad inteſtinum penetrationi ſemper obluctans, examinatur, patet, quòd ejus orificium à phlegmate in ipſis inteſtinis obturari, humorisque hujus effuſio cohiberi posſit, eò frequentiùs, quò certiùs, ejus longiorem inſertionem, dum duodeni tunica interior verſus exteriorem, replendo atque diſtendendo, comprimitur, unà incommodari.

VI.

Impetuoſiùs bilis exitum quærit, ſi ob efferveſcentiam ac ſpirituaſcentem ebullitionem ad ſui è veſicula effuſionem inſurgit, unde expulſa, qua data porta ruens, non minùs per porum ad epar delata, ictterum, quàm ad inteſtina, vomitiones atque alvi dejectiones bilioſas excitet. Ejusmodi turgeſcentiam ipſi ab acido induci, *obſerv. 1. Thon. p. 12.* evincit, in qua docetur, quendam febricitantem, qui, cum oris amarore, ſingultu contumaci, fæcibus bilioſis, halitum, fervore manus asſtantium, ori ejus admotas, ferientem exſpiravit, poſt materiam croceam amaram (ſine dubio bilioſam) tandem vitriolatam, acutisſimi aceti qualitatem præ ſe ferentem, & palatum penè erodentem, per vomitum rejeciſſe; pariter *Walæus in epiſt. de motu chyli ad Bartholinum conſcripta ejusq; Anatomiæ reformatæ annexa p. 533.* narrat, ſe in canis, per triduum inediam pasſi, ventriculo (acidius ob fermentum) bilem quàm maximè ebullientem obſervaſſe. In noſtro quoque affectu, uti acidum peccare utplurimùm, multa demonſtrant, ita & ejusmodi humoris exagitationem, ab acido oriundam, non malè accuſari

cen-

censebit, cui, in Ictericorum folliculo subinde calculos, quorum generationem superiùs per acidum explicavimus, effervescentiæ illius, licet jam peractæ, superstites fructus, inveniri, constabit. Vix enim ob obstructiones eundem tunc produci significat, quòd iis non ostium semper odsideatur, aliàs post vomitum biliosum, sicut *in Schenck. obs. p. 403. b.* de muliere narratur, ibi non fuissent observati. Poterit autem acidum hoc non solùm unà cum sanguine ad folliculum, ceu *Sylvius in Prax. c. 19. §. 41.* contendit, penetrare, verùm etiam succus esse pancreaticus, in homine cum bile in duodenum per ostium commune sese exonerans, cujus vitio illam bilis turgescentiam sæpe originem suam debere, probat, quòd in regione lumbari dextroq; hypochondrio, ubi ductus pancreaticus cum biliario intestinum perforat, non solum in cholera, quam bilis orgasmum excitare certum est, anxietates, verùm etiam in ipso Ictero lancinationes se prodant, vid. *Hæchstett. dec. 8. cas. 4.* & *Barthol. cent. 3. hist. 4.* Doloribus quidem ea loca infestantibus plurimi nomen nephriticorum imponunt, persvasi, quòd post eos subindè calculi, cujus exemplum habet *Deck. in exerc. circ. meth. med. p. 640.*, per urinam excernantur; verùm utplurimum decipiuntur; lancinationes enim illæ, in dextra lumborum regione inceptæ, hinc sæpissimè in anteriorem sinistri hypochondrii partem usque ad umbilicum, uti in matrona quadam vidi, pertingunt, (nempè secundum intestini tenuis, duodeno succedentis jejuni, lumbis primùm sub mesenterio annexi, mox in sinistras antrorsum erumpentis, inq; Ileum desinentis, gyrationem) succedente nausea, vomitu, ructibus, aliisq; symptomatibus, utplurimum oriundis magis ob consensum & continuationem ventriculi cum intestinis, quàm exilis à stomachico, sexti paris (recentioribus octavi dicti, aut juxta *Willis.* potiùs intercostalis,) ramo, nervi in propriam renum membranam distributi: accedit, quòd sæpiùs paroxysmi, utplurimùm calcu-

 lo

lo nullo excreto, uti videre licet *ex River. cent. 2. observ. 58.* saltem urina sub sedimento, ab initio rarissimè conspiciendo, arenulas rubras in vitri centro ponente, solvantur, iterumq; facilè externum ob errorem, e. g. frigus &c. excitentur, ac optimè, ceu longa ex voto succedens experientia *supra laudatum Spectatissimum Dn. Decanum D. Hoffmannum*, edocuit, curentur sudoriferis & acidum absorbentibus, e. g. mistura simpl. Cornu Cervi &c. non tàm lapillum, in ureteribus acutissimos dolores excitantem, iterum in pelvim, minùs sensilem, retrahentibus, quàm succum puncreaticum & effervescentiam intestinalem emendantibus, itemq; sanguinem, subsistendo inflammationem augentem, disgregantibus: Calculos verò & arenulas excerni (& quidem velut plerunque evenit, paroxysmis longè præterlapsis) mirum non est, si consideremus, quandoque etiam in colica, cujus *Deck. in exerc. circa meth. med. p. 665.* exemplum enarrat, hoc contingere; talesq; ab acido, in intestino anteà turbas excitante, posteà ad urinaria vasa delapso, ibiq; materiam aptam seu coagulabilem offendente, facilè posse progenerari.

VII.

Porrò vesiculæ fellis coarctatio, tanquam digitus, eandem comprimendo, humoris tantam copiam ad profusionem urget, cui exonerando ductus comunis ostium impar est: unde ab omnibus, eandem angustantibus, caussis, bilis ad venas regurgitare cogitur. Cujus igitur ratione frequens malum post colicam passionem, uti *Forest. l. 19. obs. 17.* quoq; post iliacam observavit, in quibus intestina, à fellis folliculo parùm dissita, flatu distenduntur; & in prægnantibus uterus, ultimis gravidationis mensibus abdomen valde angustando, visceribus omnibus sursum adactis, illum comprimi faciens, hujus productioni, potest favere,

re, quale exemplum *Forest. in schol. ad observ. 21. l. 19.* suggerit. Tandem etiam fel è vesicula sua copiosè spasmi emulgebunt, nunc tantùm particulares, nunc aut totum corpus concutientes, velut in epilepsia, qua, in difficillimo partu correptæ mulierculæ (cujus ab *Excellentissimo atq; Experientissimo Dn. D. Bohnio, Anatomiæ & Chirurgiæ Professore Publ. Lipsiensi longè Celeberrimo, Præceptore, singulari Observantia mihi suspiciendo*, cadavere aperto, uteri corpus, ob sanguinem congrumatum, gangræna correptum, vasa autem biliaria minimè obstructa, deprehendebamus) morbum accidisse regium memini: aut saltem in plexu hepatico aut mesenterico, à quo ille protenditur, Spiritibus animalibus, ut cum *Willisio* loquar, ataxias convulsivas ineuntibus, quas juxta *Eundem de morb. conv.* concipere possunt non raró, licet nondum copula explosiva præoccupati, partibus nervosis, e. g. à dolore gravi, solutione continui &c. irritatis; sæpiùs, si, præter ipsorum copulam elasticam, (nitro-sulphuream, à sanguine arterioso iis accedentem, à cujus, ceu pulveris pyrii, explosione ordinata, motus suos tàm musculosos, quàm peristalticos secundú naturam partes perficiunt) etiam aliusmodi efferæ naturæ corpuscula, pulveris nitrati magis æmula, iis adveniunt, intimèq; adhærent, ac hinc, subita iterum nec non frequentia faciendo divortia, mutuam particularum elisionem indueunt. Explosiva hæc copula rariùs à nervorum principiis, eorum liquori immissa, descendit, & dein juxta dictorú plexuum nervos, tanquam in morbi convulsivi mineram congeritur,

tur, sed utplurimùm per illorum extremitates à parte aliqua, quam illi nervi respiciunt, e. g. ventriculo, intestinis, &c. in fibras nerveas, per totam viciniam consitas, transmissa, iis motuum convulsivorum, ceu pulveris pyrii igniendi, fomitem suppeditat. Ad eandem iterum excutiendam Spiritus, aut ob nimiam ejus plenitudinem gravati, aut, data aliqua occasione derepente exagitati, insurgentes, explosiones ineunt, & quidem plerumque à fine orsi, quomodo proximos quosq; prædispositos Spiritus, veluti traduce igniario, corripiunt, & spasmos continuata seriè à meta una ad alteram propagant, unde convulsio à stomacho, pancreate &c. exorsa, sensim adipsum plexum mesentericum prorepit, à quo ad hepaticum, ipsamq; hinc vesiculam fellis reflecti valet ac retorqueri.

VIII.

Cum tanta humoris copia ad vasa choledocha in statu præternaturali quandoque deferatur, ut folliculus fellis exinde penitùs intumescat, (sicut in diarrhœa extinctis infantibus *Diemerbr. anat. p. 52.*, & in cholera defuncto *Edmund. de Meara p. 161.* observarunt) revera & illa, quam ex valida & continuata glandulosi jecinoris compressione ex perenni respiratione multùm promoveri vult *Malpigh. de struct. visc. p. 34. de hep. cap. 7.*, ad bilis copiosiorem effusionem contribuere potest. Non quidem quasi Icterus sine ea nunquam producatur, quia ad universum corpus, ad tantamq; urinæ copiam tingendam, præsertim si multa biliosa materia per alvum simul atque vomitum rejiciatur, sufficiens bilis quantitas in vesica fellea contineri nequeat. Etenim, sicut *Boyl. de col. part. 3. exp. 24.*, granum unum cochinelii in Spiritu urinæ, tumq; ulterius in aqua limpida

pida gradatim dissolutum, sensibilem colorem sex, aqua repletis, vitris, quorum quodlibet uncias XLIIIß continuerit, impertivisse refert; ita de felle ipso *Diemerbr. anat. p. 52.*, ejus semicochleare toti libræ aquæ infusum, eandem viridi satis colore tinxisse, testatur; adeoq; non major fellis quantitas per unum magnum vomitum semper rejicitur, quàm quæ in vesicula, ejusq; organis contineri possit, nam minimè bilis mera, sed bile tantùm tincta expurgantur.

IX.

Verùm ne quis imminutam fellis secretionem, peragendam ope glandulosorum hepatis acinorum, minimarumq; miliarium glandularum, quas *Acutissimus Malpigh. de lien. cap. 6.* per fellis vesiculæ tunicam dispergi docet, perque ipsius pori epatici suspicatur, intactam me reliquisse, miretur, dico, bilem massæ sanguineæ materialiter saltem, non formaliter, inexistere, ita, ut nondum in organis suis elaborata, ejus, ceu mustum, ante fermentationem, vini, qualitatibus essentialibus nondum instructa, nullo modo vel amarore, vel colore in succis, per corpus circumfluentibus, se prodere valeat, quale quid in Ictero contingere, extra dubium est positum. Videtur enim, quò *Clarissimus Sylvius in disput. med. 6. §. 36.* inclinat, plurimùm probabile, bilem ex idoneis sanguinis particulis in organis suis à bile, ibi jam parata, generari, similiter ferè, ac juxta Chymicos metalla quævis, magna licet quantitate fusa, ad philosophici lapidis excellentioris, etiam paucissimi, admistionem, mox itidem in lapidem tingentem, seu tincturam similem, transeant; perpetuariq; ad modum aceti, cujus si dolio vini cantharus infundatur, in eandem cum illo naturam abit; imò in quod aquam simplicem atque fontanam convertere ope singularis fermenti Virum quendam naturæ curiosum callere, *Dn. Morhof. in epist. ad Langelott. consignata*, scriptum reliquit, quo ar-

tificio maximum Kilonii quæstum comparari, *singularis Amicus*, constare sibi, asseveravit. Imò, quantumvis pro bilificatione non excludamus planè secretionem, glandulis perficiendam, ob certam pororum dispositionem, cribrorum ad instar, humorum particulas, magnitudinis & figuræ cum iis existentes maximè analogæ, admittentibus, exclusis interim aliis, minorem cum illis similitudinem obtinentibus; quin tamen eam sufficere credam, adduci vix potero; Ipsi quippe hypothesin hanc confirmantes, in exemplum plantas adducunt, quarum, etiamsi longè variarum, & in eadem vel area consitarum unaquæq; specificum, ceu facta electione, rejectis aliis, quibus cum porulis nulla intercedat affinitas, particulis, succum in se admittat, nec ipsum tamen homogeneum, quin diversæ naturæ particulas sub se continentem; quemadmodum in arboribus iisdem diversos, diversis scilicet inoculatis illi surculis, fructus, propter diversam pororum suorum, hanc, nec illam, liquoris partem excipientium, constitutionem, excrescere videamus. Verùm, ut transeam experimenta *Boyl.* atque *Helmontii*, quibus, salicem & aromaticas etiam plantas, qualis mentha fuit, incrementũ à sola aqua sumpsisse ostenditur, dubiam hypothesin hanc reddit, quòd, viti, imprimis multa medulla donatæ, ob idq; copiosiores fructus producere solitę, si plures, quàm par est, gemmæ relinquantur, copiosiores uvæ colligantur, surculorũ contra lignis hinc minùs maturescentibus & deficientibus; manifesto indicio, succum, in ligni nutrimentum cedentem, materialiter eundem esse cum eo, ex quo uvæ vegetant, cum formaliter tamen longè differant. Quod autem, uti succus mali Persici, decerpti à surculo, inoculato cerasi trunco, & hujus fructuum, quos in alio ejusdem arboris ramo producit, ita bilis in organis suis actu jam elaborata, atque ea, quæ potentialiter saltem sanguini inexistit, formaliter longè differant, tàm candidus succus, *à Gliſſon. in anat. ep. cap. 39. p. 344.* & *Diemerbr. anat. p. 129.* in

ejus

ejus folliculo repertus, quàm ejus, secundum naturam se habentis, tanta tenuitas, quæ, uti in Ictero videmus, omnes humores, nihilominùs per glandulas transcolatos, colore atque amaritie sua deturpet, evincunt.

X.

Inter causas Icteri procatarcticas alimenta pituitosa referantur; inter affectus animi præsertim mœror & ira, quam, turbando effervescentiam intestinalem, velut aliquando colicam, bilioso & æruginoso vomitui conjunctam, *Platerus in obs. p. 419. & 422.* excitasse, testatur: sic ex ea in Icterum mulierem incidisse *River. cent. 2. obs. 9.* enarrat: Quibus Spiritus vini abusus etiam adjiciatur; Hunc bilem ad calculorum concretionem disponere conjicio, quòd post eundem, uti autopsia in cadavere hominis, huic vitio dediti, aperto, sæpius citatum *Experientissimum Dn. Doct. Hoffmannum*, ejus certiorem reddidit, epar scirrhosum, multisq; calculis & tophis subinde refertum, observetur; Quorum cum nuper in epate bovino (in cujus duodeno calculum obscurè viridem, & multis angulis præditum, scrupulum semis pendentem, pisumq; fermè bis æquantem, sine dubio è vesicula fellis compressa cum bile eò propulsum, inveniebam,) sedem in aliquot locis investigarem, radices epatici pori esse, quæ crustis calculosis planè obducebantur, stylus & aqua, per syringem immissa, demonstrabant. *Sylvius* eundem oleositate sua nocere credit, quam sicut ipsi inesse nemo facilè negabit, præsertim si quis eundem, potissimùm super aromata oleosa cohobatum aut infusum, ab ejus potatoribus amari, perpendat: Ita illam hoc loco minimè proficuam esse confirmat, quod ab *Experientissimo Dn. D. Brunone, hujus Universitatis p. t. Magnifico Rectore, atq; Prof. Publ. longè Famigeratissimo, Patrono Promotoreq; maximè suspiciendo* acceperim, se, nimium

nimium & quotidianum baccarum juniperi, quas magna oleositate gaudere prolixiori probatione haud eget, abusum, affectum nostrum subsecutum, observasse. Illi etenim, felli conciliatæ, ejus quoque crassitiem succedere suspicor, quoniam in bobus castratis atque saginatis sæpissimè eandem valdè viscidam deprehendi. Cum insuper illa aqua, vitæ quidem vulgò dicta, sed non paucis lethi facta, fermentum ventriculi debilitet adeò, ut *Riverius* famem caninam potenter sedare scribat, facilè infertur, hoc debilitato, multos crudos humores, post ejus sinistrum usum corpus oneraturos fore, imprimis in potatoribus, multa alia vitia in diæta committere, in specie frequenti potu frigido ad sitim extinguendam se ingurgitare consuetis. *Rolfinck.* etiam *in meth. med. p. 144.* refert, rusticum quendam, quartana confectum, largissimè Spiritu frumenti stillatitio (qui ex ardentium genere, itidem ac memoratus est) ante paroxysmum hausto, convulsione superveniente diem obiisse; Cui simile quid in Studioso, qui, dum horrores tertianæ aliquoties nimia Spiritus vini quantitate assumpta, levare voluit, epilepsiam sibi accersivit, *Amplissimus & Excellentissimus Dn. Decanus* observavit; Dubitandum igitur non venit, convulsiones excitando, in morbo regio, quem ab iis ortuum suum non rarò trahere diximus, quoque obesse plurimùm.

XI.

Icterus per se satis manifestus, signis, nisi causarum, minùs indiget: Ductus ergò communis obstructiones colliguntur ex fæcibus albis, urina flava, præsertim injecta lintea colore flavo tingente; Harum absentia patefit per oris amarorem, vomitum atque diarrhœam biliosam junctam: Effervescentiam intestinalem culpæ incusant stercora æruginosa atque atra, lumborum, inprimis dextri, dolor, calor, horror, vulgoq; dictus dolor nephriticus:

cus: Inteſtina flatibus diſtenta, crepitus atque ructus, tormina ventris, obſtructiones alvi, & non rarò tumores abdominis oſtendunt. Spaſmi conjiciuntur, ſi adſit læſi nervi ſuſpicio; ſi in aliis locis, e. g. oculis, abdominis muſculis &c. ſe prodant, ſi vehementes adſint dolores aliaq; irritantia. Harum dignotioni lucis plurimum afferunt examinatæ cauſæ prægreſſæ, juvantia atque nocentia, nec non ſymptomata cætera comitantia.

XII.

Ejus prognoſis per ſe perniti oſa & lethalis non eſt, nihilominus ſæpe aliorum ſupervenientium & junctorum ratione portenditur: Ita juxta *Hipp. ſ. 4. aph. 62.* quibus in febribus morbus regius fit ante ſeptimum diem (utpote quo acutarum criſis prima debet contingere) malum; quippe ſymptomaticè potius, quàm criticè ſe tunc habet, niſi humores ad ventrem fuerint exturbati, ſicut ipſe *Hippocr. popul. 1. ſ. 2. 120.* exempla illud oſtendentia proponit. Ad evitandam verò contrariam Autorum experientiam, quam fovet *Barthol. cent. 3. hiſtoria 4.* mulieris quartanariæ, notetur I. hunc aphoriſmum de febribus acutis atq; bilioſis intelligendum eſſe: II. Saltem malum, non lethale judicari, quale timendum eſt, juxta *Hippocr. de criſ. 8. 20. p. 444.* ſi cum ſingultu (ſymptomate pesſimo, imò ferè juxta *Platerum* in dictis febribus lethali) quinto die appareat. III. Addatur limitatio, quæ *de victu acut. 54. 3.* habetur, nimirum, ut ſine rigore accedat, utpote qui morbum ſolvit. Die ſeptimo contra aut nono aut decimo quarto accedens bonus ab *Hippocrat. aphoriſm. 64.* habetur, niſi hypochondrium dextrum durum fiat, id eſt non

criticus, qui, velut croceus ille ſudor, quem *Hild. cent. 6. obſ. 77.* in febris bilioſæ ſeptimo die prorumpentem obſervavit, contingat ratione bilis, in maſſa ſanguinea jam hærentis & hinc ad exteriora propulſæ, tandemq; medio glandularum ſubcutanearum penitus eliminatæ: ſed ſymptomaticus, qui bilis novæ cauſſa, ob vitioſam effervescentiam inteſtinalem &c. ad maſſam ſanguineam ſuggeſtæ, eveniat. Sæpiùs illi hydrops ſuccedit, accidens, quòd chylus, bile alcalina deficiente, ob aciditatem præternaturalem in vaſis lacteis atque lymphaticis grumeſcens, obſtructiones, quarum culpa eorum ſerum nutritium in cavitatem, præcipuè abdominis effunditur, pariat. Falsò enim ſupponitur, bilem excrementum eſſe, quæ multò magis humor eſt ad ſanitaté, imò vitam ipſam animalis conſervandam maximè neceſſarius, cujus ope chylus, fermenti aciditate, aliis partibus inimica, obtuſa, non ſecus ac ſolutio corallorum, inſtillato ſale tartari, lacteſcit; & fæces alvi poſt asſumpta martialia, ſicut ſolut. vitrioli addito decocto gallarum, nigreſcere, mihi magis videtur probabile, quam ope ſucci pancreatiai acidi ſive auſteri, uti vult *Acutisſimus Pechlinus in egregio de purg. tract. cap. 3. p. 41:* Oleum quippe vitrioli atramento communi inditum ejus nigredinem minuit & abolet, nec non roſas rubras, quæ idem mihi phœnomenon, ac gallæ, exhibebant, lac ab auſteris omnibus coagulabile, minimè coagulaſſe, nec ſolutionem Sulphuris per lixivium paratam, quod in more ſingulis eſt acidis, præcipitaſſe fui expertus.

XIII.

Indicationes ſunt, ut bilis ad maſſam ſanguineam corporisq; ſuperficiem delata, evacuetur, dein ut cauſæ illius regurgitationis tàm externæ, quàm internæ removeantur aut corrigantur. Quod ſi

ergo

ergo in culpa erunt occlusiones, reserentur, bilis orgasmus cohibeatur, convulsiones sistantur, vesiculam fellis comprimi facientia tollantur & emendentur, humorisq; ad vasabiliaria copiosior derivatio sufflaminetur. Auxilia, quibus hisce possimus satisfacere, externa ac interna suppeditat fons diæteticus & pharmaceuticus; suntq; vel alterantia vel evacuantia, qualia sunt purgantia, sudorifera & diuretica.

XIV.

Purgantia historias ab Ictero servatorum pervolventi præscripta frequentissimè offenduntur, convenientia, tam ductus biliarii orificio in duodeno à pituita viscida obducto atque obliterato, quàm aliquo ipsius communis viam obsidente. Humorum enim, per purgantia ad intestina deponendorum, pars magna expurgatur per vasa choledocha, quæ, cum ductu Pancreatico, ceu vias purgationis ordinarias, *Spectatissimus Dn. Decanus in disput. de nutrit. th. 32.* orbi medico primùm detexit; Illi igitur cum impetu profluentes quicquid in illis hæret, non secus ac per diuretica ob copiosiorem urinam calculi in ejus organis hærentes expelluntur, exturbant & eliminant. Videntur equidem, bilem impetu majore è folliculo fellis movendo, exindeq;, denegato propter obstructiones exitu, copiosiùs ad sanguinem ferendo, icterum magis promovere. Verùm copiosus quoque humor per porum epaticum advolutus tantam regurgitandi copiam vix concedit, quin & ipse calculi expulsionem promovet: Imò nihil prohibet, ab iis primùm bile corpus exterius magis perfundi secundum *Forest. l. 19. obs. 20.*, modo, via rursus ad intestinum reclusa, continuatus novus affluxus intermittat, & Icterus, bile jam admista per sudorem & transspirationem eliminata, evanescet. Neque in casibus cæteris eorum usus

planè

planè poſtponendus venit, e. g. ſi malum à ſpaſmis, imprimis particularibus meſenterii, aliarumque partium abdominis, oriatur. Cum etiam humores ab iis per ductum pancreaticum evacuari dictum ſit, igitur ejus ſuccum, aciditate ſaltem primùm per præparantia fracta, eliminandum, & hac pariter ratione, bilis exagitationem compeſcendam non parùm valebunt. Iccircò, ſicut in diarrhœa, vomituq; Rhabarbarum commendatur, ita *Thoner. in obſ. p. 154.* ſuggerit exemplum icteritia nigra affecti, in quo amaror oris cum ardore ventriculi bilem tumultuantem prodebat, cui tamen non ſolùm per epicraſin evacuans, ſed etiam vomitorium cum ſucceſſu exhibuit, & *Plater. in obſ. p. 574.* pueri, quem, etiamſi jam ſpontè dejecerat copiosè, à Syrupo roſarum cum Rhabarb. alvo ſoluta reſtituit. Verùm ſæpè quidem magna utilitas, ſæpè tamen magnum etiam damnum ab iis poteſt exſpectari, ſi nimirum ubique in ea, neque circumſpectè, imprimis in doſi, uſurpata collocetur omnis fiducia, utpote quibus, bile jam ferociente, ſuperpurgationem periculoſam ſuccedere, videmus in febribus malignis, ſæpè mortem inferentibus ob medicamenta, licet parva doſi exhibita, fortiter purgantia. Quamobrem dejectionibus copioſis ſimul urgentibus, illorum uſum rectiùs planè intermitti, demonſtrat *River. cent. 3. obſ. 73.* hiſtoria Jeſuitæ, Ictero cum vomitu bilioſo afflicti, qui, neglectis omnibus purgationibus, reſtitutus fuit; & *cent. 2. obſ. 9.* mulieris, per alvum liquida bilioſa rejicientis, in qua Rhabarbarum parùm utilitatis præbuiſſe teſtatur. His junguntur & aliquando rectiùs ſubſtituuntur enemata, quorum magnam utilitatem obſervationes plurimæ celebrant, nam toti abdomini fotus loco ſunt, alvum lubricitant, fæces duras emolliunt, inteſtinorum motum periſtalticum adjuvant, in iis hærentia, à quibus ſæpe omnis mali fons redundat, elutriant.

XV. Dia-

XV.

Diaphoretica quantopere in Ictero conveniant, monſtrat, quod cùm bilem maſſæ ſanguineæ, humoribusq; aliis p. n. admixtam, atque corporis exterioribus ſuffuſam eliminent; tùm cauſas antecedentes admodum tollant. Quippe inteſtinalis effervescentiæ, ſucciq; pancreatici vitia, eundem intercipiendo & quaſi ad glandulas ſubcutaneas revellendo, corrigunt; ad obſtructiones reſerandas, cauſam antecedentem tollendo, multum faciunt; in convulſionibus atque ſpaſmis conducunt; atque in copioſa fellis ſecretione cohibenda, commodum præſtare, hypercatharſeos atque choleræ cura oſtendit. Conveniunt inter ea maximè ſalia volatilia, imprimis urinoſa, e. g. Cornu cervi, fuliginis &c. & ex iis compoſita ſalia volatilia oleoſa, utpote valde incidentia, obſtructiones tollentia &, uti inferius dicendi locus dabitur, calculum frangentia; item Sulphura mineralium, qualia ſunt, antimonii & vitrioli, quorum in Ictero utilitas eſt ſpecifica, quia ipſam ſanguinis ebullitionem, uti in febribus malignis videmus, ſine incenſione coërcent; ob vim anodynam, ſecundum *Sylvium* opiatorum ſuperantem, bilis efferæ effuſionem compeſcunt, acidiq; vires potenter, unde ab *Eodem* iis in caſibus, in quibus terræ & oſſa, extolluntur, frangunt. In dubium equidem hanc noſtram asſertionem vocat, quod Sulphur antimonii, ceu illud *Boyl. in Chym. Scept.* de ſuo, cum oleo vitrioli parato, asſerit, communis qualitates æmuletur, adeò ut ſimiliter protinus ad candelæ flammam ignem concipiat, adeòq; acida, utpote quibus ad ſolvendum hoc non patet, non posſit imbibere: Verùm juxta quos proceſſus iſtud in uſum medicum elaborari conſuevit, non tam Sulphuris pu-

D ri,

ri, quemadmodum *Boylei*, meretur, quàm per lixiviosa facta solutionis, acido, à quo præcipitatur, imbibendo aptissimæ. Hanc virtutem laudatum Sulphur neque omninò amittit, etiamsi, uti multis in usu est per acida præcipitando separetur; per Spiritus enim acidos supra illud aliquoties abstractos figitur, quem in modum *Zwelf. in Pharm. Reg.* diaphoreticum suum auratum, & *Febur. in Chym.* suam panacæam diaphoreticam elaborant.

XVI.

Imò etiam diuretica à bile, illam à sanguine cum urina segregando, humores depurantia, pituitam viscosam, ad renes deductam, per urinas educentia, succi pancreatici copiam, ipsum per diuresin evacuando, minuentia, in morbo regio curando egregium sibi vendicant locum, quem inter ea non postremum obtinent lumbrici terrestres, quos cum gummi ammoniaco exhibitos aliquoties admodum profuisse *sæpius jam laudatus Experientissimus Dominus Doct. Mauricius Hoffmannus*, observavit; & Salia, imprimis alcalina, quæ acidorum, texturam eorundem in acido-salsam & tertii generis mutando, vim coagulandi atque præcipitandi destruunt; bilis contra alcali adjuvando atque augendo, præcipitationem intestinalem promovent; accedit, quòd in convulsionibus, quare in Epilepsia frequentissimi sunt usus, copulam Spirituum animalium explosivam acidam figendo & quasi constipando, specificè conducant, partem insuper pituitæ incisæ ac emendatæ, potissimum juxta *Sylvium* volatilia & in specie oleosa, diutinè cum alimentis assumpta, ad urinæ vias propellant, ac sedimenti, paulatim tamen deficientis, atque eo ipso illius maximam partem superatæ ac correctæ signum præbentis indubitatum,

for-

forma expellant. Quinimò, cùm Sulphur ab iisdem promptisſimè ſolvatur, (quale quid de lixivioſis ejus lac, & tinctura volatilis, deſcripta à *Boyl. de col.*, de urinoſis teſtatur,) calculus item urinarius à ſale volatili tartari, inſtar ſalis Cornu cervi, urinoſo frangatur, aſſerente *Eodem in Chym. Scept.* hæc ſalia calculum biliarium, cujus concretionem ſuperiùs memoratis asſimilavimus, imminuere ac frangere, non videtur improbabile.

XVII.

Inter alterantia maximi facit *Platerus* martialia, adeò quidem, ut ipſa, in Praxi valde commendata, creberrimè medicamentis ſuis in obſervationibus adjecerit: quantæ illis virtutes ab Autoribus aliis aſſcribantur, legi poterit in *Schenk. obſ. p. 406. Williſius inter noſtri ſæculi Medicos Clarisſimus de morb. convulſ. c. 11. p. 208. de febr. c. 2. p. 111.* hæc in corpore humano juvare putat ſub illa ratione, quòd præter particulas ſalinas, quæ ſanguinis impetum inhibeant, ejus maſſæ corpuſcula inferant ſulphurea, quæ novum ac uberius ſulphuris penum addendo, velut fermento quodam, cruoris vitalis ebullitionem, aut imbecillem, aut ferè extinctam de novo reſtaurent, ut propterea, antea pauperior & effœtus, iterum vegetius fermenteſcens, ulteriusq; in corde accenſus, calorem magis intenſum, quin & colorem ſaturatiorem acquirat: quam opinionem illuſtrare videtur exemplum illius, quem *de febr. c. 1. p. 108.* vitioſo corporis habitu præditum cruorem albicantem lacti ſimilem, emittere ſolitum, cum dein à remediis chalybeatis melius haberet, ſanguinem modicè rubicundum profudiſſe refert. Verùm licet negandum non ſit, fermentationem ſanguinis aliquando chalybeatis maximè promoveri, non tamen ita accipiendum eſſe credo, quaſi hunc effectum poſt ſe relinquant, quod vice fermenti fungantur. Sunt enim eorundem particulæ jam ſimul omnes in vigorem mi-




nùs collocatæ, ut, aliorum otiosas particulas suscitantes, secum in motum abripiant; imò quî mars sulphure dives esse potest? cùm, quale paratur ex eo, tale non sit, sed corpus ex ipso metallo ac corpusculis salinis compositum; aut quî Sulphurea fermentorum, quorum naturam salinam esse, flores cerevisiæ, fermentum panis &c. testatum faciunt, vices agere valebunt? Verosimilius est, chalybeata hæc efficere sub ea ratione, qua pulvis alabastritis, silices calcinati &c. si vinis, præsertim ex valde austeris uvis expressis, adduntur melius fermentescentia & depurata reddunt, nimirum acidum prædominans & fermentationem quasi figens absorbendo, quomodo non solùm in cachexia, leucophlegmatia, pica & malacia vultui pristinum florem conciliabunt, sed etiam sanguinis lactescentiam, quam ab acido liquore infuso serum sanguinis accipere *Idem de febr. c. 1. p. 107.* scribit, corrigent. Acidum verò chalybem absorbere patet, quòd à Vitriolo martis corrosiva malignitas in oleo vitrioli, ex quo tamen, istius limaturæ affuso, illud emergit, valde manifesta, longissimè absit. Quocirca, docente *Pechlin. de purg. c. 5. p. 70.* Struthiocamelus, à nimia ferri quantitate porrecta, tandem, propter ventriculi fermentum obrutum, emaciatus periit, & in quartana, pica atque malacia, ab ejusdem aciditate, præter naturam auctiore, deducendis, egregium afferunt commodum; nec mirum est, rusticum chalybis usu à vomitu horrendo virescente liberatum fuisse, ex *observ. River. comm. 69. p. 281.* De modo exhibendi multas quæstiones agitant Autores, inter alios lis est, an debeatur limatura chalybis in substantia exhiberi? *Zwelf. Pharm. Aug. p. 257.* illius usum planè rejicit, quia ad venas non penetret, sed iterum, uti sit ingesta, excernatur. Verùm dubiam reddit hanc *Autoris* hypothesin, quòd fermentum ventriculi ex acidorum, quæ martem in facili solvunt, numero esse, rationibus firmissimis

à su-

à superiùs laudato Experientissimo Dn. Doct. Bohnio in disp. physiol. 3. evincatur; ideoq; juxta *Willis. de ferm. c. 5. p. 25.* dicta limatura ore assumpta (ob eam corrodens in ventriculo fermentum) paulò post nidorem, qualem Spiritu vitrioli affuso, excitat, & stercora, si medicamentum operetur, nigredine inficiantur, non conspicienda, nisi ex chalybe in ventriculo factum fuerit vitriolum.

XVIII.

Saponem *Sylvius in praxi* insigni illa laude decorat, quòd eo aliquoties se Ictericos restituisse glorietur. Constat autem particulis oleosis, acidorum Spirituum acrimoniam temperantibus & salinis lixiviosis, ipsis etiam acido infestis, quorum insuper medio acida & pinguia, alias junctu valdè difficilia, in facili congrediuntur. In specie egregium præstat remedium contra omnes motus convulsivos, quorum paroxysmos in puella epileptica valdè imminuisse Experientia *Barbettum in Pr. cap. 1. pag. 15.* docuit; pariter ac ob eandem texturam *Borell. cent. 1. obs. 18.* pulverem seminis saponariæ, spumam, si in aqua fricetur, saponis instar emittentis, in eodem affectu admodum deprædicat. Hujus quoque classis sem. cannabis est, quod in lacte bubulo, itidem pingui, ad crepaturam circiter coctum & colatum atque bis terve in die ad uncias quinque aut sex assumptum egregium in nostro affectu, teste *Sylvio atq; Dodonæo* est euporistum; non quidem, quòd sicut *Hic* credit, si Icterus ab obstructionibus proveniat; quis etenim ejusmodi viscidum, crassum, ac oleo tàm obtuso, maximam partem constans in obstructionibus reserandis, imò calculis frangendis emolumento esse sibi persuadeat? Rectiùs reverà, quòd acrimoniam humorum obtundat, & bilis turgescentiam, spasmosque abdominis coërceat, quapropter, referente *Matthiol. in 3. Diosc. lib. cap. 188.* mulieres Italicæ hujus decoctum in morbo comitiali pueris exhibent.

XIX.

Vulneraria, qualia ſunt è regno vegetabili marrubium, ſalvia, fumaria, plantago, &c. è regno animali ☋ contuſ. ſtercora, urina, &c. egregium quoque uſum in Ictero curando præſtare, concluditur ex *Riv. cent. 3. obſ. 73.* in qua ſolus ſuccus fumariæ Ictero & vomitu bilioſo correptum curaſſe refertur, & *Plater. Pr. T. 3. p. 141.* ubi ſalviæ folia, ſæpiùs ſumpta, quendam reſtituiſſe, docetur. A plerisq; illa, præcipuè plantago pro refrigerantibus & bilis caliditatẽ temperantibus habentur, unde in cholera, diarrhœa & morbo regio, quatenus illam corrigant, conferant, quò etiam *Sylv. in Pr.* per blandam aciditatem atq; auſteritatem bilis acrimoniam ſalinam ejusq; oleoſitatem emendare putans, inclinat. Verùm, ne de ſucco plantaginis jam allata *in diſp. noſtra, Lipſiæ de hæmorrhagia habita*, repetamus, eundem ſolutionem vitrioli præcipitaſſe vidimus. Sedimentum quidem ille ponebat etiam, affuſo hujus oleo, acido, ut exinde videantur acida corpuſcula vitrioli dictum ſuccum, non hic ejus ſolutionem præcipitaſſe; Aſt color & alteratio hæc longè diſcrepabat à prima: Adhæc ejus extractum in aqua ſolutum, dictæ ſolutioni, turbando, impertiebat colorem viridem ſubatrum, qualem ferè ab affuſis Spiritibus urinoſis in principio accipere ſolet. Sic ſuccus quoq; fumariæ Mercurii ſublim. ſolut. præcipitabat, ob eamque rationem ſimili colore viridi donabat ſolut. Vitrioli; in qua ſedimentum ſubviride pendulum, addito ejus extracto, conſpiciendum ſe exhibebat. Cum igitur talia ſint phœnomena, quæ exhibentur ab alcalinis, videmus probabilius eorum naturam potius ad alcalinorum, quàm acidorum naturam accedere, &, hoc asſerto poſito, conducere in ejusmodi bilioſis morbis, ſuccum magis pancreaticum, cujus vitia efferveſcentia atque bilis effuſio ſequitur, corrigendo. Quomodo enim alias iisdem in caſibus ſaxea, e. g. terra ſigillata,

lata, Cornu Cervi, &c. quæ in ipſo etiam noſtro affectu approbantur, curationis gratia exhiberentur? aut quomodo in vomitu bilioſo ſal abſinthii (ex lixivioſorum genere) cujus tria exempla habet *River. cent. 2. obſ. 99.* & *cent. 1. obſ. 15.* aliquod emolumentum afferrent? Huc non inconvenienter referuntur amara, e. g. abſinthium, centaurium minus, &c. in morbo regio magni æſtimata, quæ & ipſa vires acidorum ſupprimunt; non enim ſolùm cerevifia, quò lupulo amaro ſaturatior, eò diutiùs ab aceſcentia præſervatur, ſed etiam ejus generis cætera, qualia dicta ſunt, hujus vicem referente *Williſ. de ferm. p. 40.* ſupplent; inprimis abſinthium, cujus extractum, æquè ac de fumariæ retulimus, Mercur. ſubl. & Vitrioli ſolut. præcipitabat, cum tamen ſimile quid, affuſo illi ejus oleo, animadvertere nobis non licuerit. Ob acrimoniam inſuper, quam amaritudine ſua produnt, pituitam, craſſosq; humores incidendi facultate pollent, hic minimè negligenda; nam & antiſcorbutica, e. g. Eruca ſylveſtris, Raphanus, imò ipſa aromata, e. g. calamus aromaticus crebrò præſcribuntur, prima præſertim regione crudis humoribus, flatibusq; obſeſſa. His ſubjicere liceat opiata, quæ à *Sylvio* admodum commendantur; illisq; ob vim narcoticam affinem crocum, in pulverem ſingularis remedii receptum à *Platero.* Utilitas eorum in bilioſis diarrhœis, vomitibus atque ipſa cholera, quantùm in nimia bilis è veſicula ſua effuſione conducant, teſtatur; Cum etiam ſudorem in affectu noſtro maximè proficuum movere *Idem in Prax. T. 2. p. 547.* aſſerat, & per obſervationes ſuas *pag. 682.* probet, ad talia in ipſo non rarò optimè confugiendum eſſe elucefcit.

XX.

Inter remedia externa Practici commendant topica, quæ in forma fotuum, cataplaſm. unguent. emplaſtr. &c. ad-

adhibenda, circa hepatis regionem & hypochondrium dextrum applicentur. Speciebus pro iis recipiendis admisceri possunt carminantia, aliaq; penetrantia & subtiles halitus spirantia, præcipuè, si flatus & ructus simul ad sint, intestinorumq; tumores & dolores observentur. Junganturhis cucurbitulæ & ventosæ, quibus Ictero sociatum dolorem, in hypochondrio dextro affligentem, incantamenti instar, sedatum fuisse refert *Forest. l.19. obs.20;* Easdem extollit etiam *River. cent. 2. obs. 58.* in dolore nephritico putatitio & unà colico, quem sine calculo, arena & pituita per urinã excretis, sed flatibus à lumbis ad alvum sensibiliter cum sonitu blando, ab adstantibus facilè audito, delatis solutum fuisse narrat. Tertiò revocantur in usum balnea, quibus non solùm bilis in poris cutis hærens abstergitur, & per eos magis apertos, faciliùs eliminatur, sed quorum etiam efficacia in prima regione percipitur. Notetur autem, remedia hæc calentia esse usurpanda; *Idem* enim *ibid.* docet, balneum calens, non tepidum saltem, sibi profuisse; videlicet ob calorem, qui ad flatus omnes discutiendos, crassosq; humores resolvendos est utilissimus: Imò qui multum opis promittit in materia tartarea & calculo frangendo atq; solvendo, quippe Tartari & Sulphuris, &c. solutiones ab eodem maximè juvari atque facilitari experimur.

Quæ medicamentis hisce, ne eorum vis sufflaminetur, sed juvetur, commoda victus ratio respondeat, è fonte diætetico colligi poterit facillimè. Itaq; ob prolixitatem vitandam huic operi sit finis, &

DEO GLORIA.